



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 5. Friuolæ excusationes, jeiunia præcepta, detrectantium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

Eccli. 3.

24

prætexunt, vt carnibus se farcire, & comestando tempus atque conscientiam fallere possint; satietatem suam nimis longa & acerba, in Acherunte, inedia sint commutaturi. Itaque *judicium patris audite filij* (Ecclesiæ) & *sic facite, vt salui sitis*. Si parum est vobis, paruo contenti estote: si multum, obedite Ecclesiæ ieiunia præscribenti.

§. V.

Frivola excusationes ieiunia præcepta detrectantium.

At seuerum est præceptum; grauis inedia; longa dies; impatiens venter; ingens consuetudo comedendi? Negantur calida. Nec panis satis conceditur. Additur pomū nanum, aut pannucium; libi buccia; vilulum. Libare hoc est, non cœnare. Hæ voces sunt gulonum, & manduconum, & nō tam corporis fomenta, quàm libidinis nutrimenta quærentium; atque eorum, qui inediæ fræno imprimis indigerent. Nimirū, vt cæci, vident; & loquuntur, vt muti, hoc est, nihil, aut, quod ipsi non intelligunt, veri Polypi, qui, *ubi quidquid tetigerint, tenent*; seu esculentum sit illud, seu poculentum. Heu quàm multum distant nostrorū sæculorum ieiunia, ab illa sanctissima antiqui-

quitate! Paulus & Antonius, & ipse magnus Elias dapfilyter sibi viuere videbantur, cum laticem libarent; cum, longo die, dimidium panem manducarent. Dei præcursor Ioannes, in vtero sanctificatus, locustas comedebat; mel siluestre. Paximacijs contenti erant, qui sanctissime, in claustris, vitam viuentes, vix habebant, quod tam seuera pænitentia eluerent. Nunc scelestissimo cuique pane & aqua contentum esse, durissimum & intolerabile videtur. Quid ergo mirum, si sunt homines, qui de Dei Prouidentia queruntur; nulla enim illis est, nisi pinguissimæ culinæ prouidentia. Neglexisse se arbitrantur, si non quotidie *Pavus nequitia nidum in cacabo facit*. Oeconomum agit Deus, non dulciarium: prandia mittit, non promittit conuiuia: pasci vult suos, non distendi: sustentari cibus, nõ opprimi. Quamobrem etiam alijs, quos, non sine miraculo, nutriuit, necessaria dedit, non curiosa; coliphia, non crustula submit, aut melimela. Et quando nos docuit orare, dixit: *Panem nostrum quotidianum* Matth. 6. 11. *da nobis hodie*, seu, vt alia lectio habet, *super substantialem*, τὸν ἐπιπέσιον enim, quod alij, *quotidianum*. S. Hieronymus *super sub-*

stantialem vertit; quasi tantum de Eucharistia & pane Angelorum solliciti esse debeamus; aut certe de diario, & hodierno, non de crastino pane. Et quanquam, *panis* nomine, in diuinis, etiam alij hominum cibi intelligantur, non voluit tamen Christus à nobis peti ficedulas, aut alaudas, aut turdos, aut perdices & coturnices: multò minus linguas psittacorum. Itaque pane prouisum est, quibus è cœlo sua missa est annona; aut certe rarissimè cibo preciosiore,

3. Reg. 17.
6. Marti
al. lib. 13.
61.

Nam vtique carnes, quas, cum pane, cornutus Eliæ detulit, non erant cassitæ, aut *Ionicarum gustus atagenarum.*

§. VI.

Eremita à pueris & Angelis panis tantum, sed miraculosè fertur.

Seuer.
Sulp.
dial. 1.
c. 3.

Porro, quod Paulo & Antonio contigit, id solitario etiam alteri atque Abbati eius, Seuerus Sulpitius memorat euenisse. Haud longè ab eremo contigua Nilo, multa erant monasteria, è quibus, si qui maiorem virtutem mente concepissent, vt, acturi solitariam vitam, se ad eremum conferrent, non nisi permittente Abbate, discedebant. Transgressis ad eremum, Abbatis ordinatione, panis, & quilibet alius cibus ministr-